



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XXXV. De causa appellationis exprimenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

XXXIV.

Quia prælati plerique, vt procuracionem aut seruitium aliquod impendant legato vel alii, plus extorquent a subditis quam soluant, & in eorum damnis lucra sectantes, quærunt prædam potius quam subsidium in subiectis, id de cetero fieri prohibemus. Quod si quis forte præsumperit, & sic extorta restituat, & tantumdem cogatur pauperibus elargiri. Superior autem, cui super hoc fuerit querela deposita, si negligens fuerit in huiusmodi executione statuti, canonicæ subiaceat ultioni.

XXXV.

Vt debitus honor deferatur iudicibus, & litigatoribus consulatur super laboribus & expensis, statuimus vt vbi quis coram idoneo iudice conuenit aduersarium, ille ante sententiam ad superiorem iudicem absque rationabili causa non prouocet, sed coram illo suam iustitiam prosequatur, non obstante si dicat quod ad superiorem iudicem nuntium destinauerit, aut etiam literas impetrauerit ab eodem, priusquam delegato fuerint assignatæ. Cum autem ex rationabili causa putauerit appellandum, coram eodem iudice causa probabili appellationis exposita, tali videlicet, quæ si foret probata deberet legitima reputari, superior de appellatione cognoscat: & si minus eum rationabiliter appellasse cognouerit, illum ad inferiorem remittat, & in expensis alteri parti condemnet. Alioquin ipse procedat, saluis constitutionibus de maioribus causis ad sedem apostolicam referendis.